



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Præmium.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)



## PARS SECUNDA.

De crebrâ per diem mentis in Deum  
elevatione ex omnibus, quæ per  
sensus attinguntur, animæ-  
que potentiis se objiciunt.

### *Præmium.*

*T*ota mundi moles quasi liber est literis exaratus, de radicibus gloriæ Dei teste S. Basilio, & ipsa species creaturarum voces sunt quadam Creatorem laudantium, teste S. Augustino. Idem refert, Fratres in Ægypto Sanctos illos eremi incolas crebras quasdam in usu habuisse orationes, easque brevissimas, & raptim jaculatas, etiam dum sportas texebant, quibus ex re quolibet occurrente animum in Deum elevabant. Excelluit hac in arte S. P. N. Ignatius, mercesque est operi, ut his vestigiis insistas, cum id ad cæteras per diem actiones ritè obeundas, perfectionisque tramitem decurrendum robur addat

2 *Pars secunda de elevatione*

addat incredibile, quia autem deprompta ex ipso Dei verbo profundius cor penetrant, adjectâ subin memorabili SS. PP. sententiâ: Ecce hunc in finem sequentia, & quidem in sex capitibus ita disposita: Ut *primò* frequens mentis in Deum fiat elevatio ex iis, quæ in cœlis & globo teraqueo menti aut sensibus se ingerunt. *2do*. Quæ in terris circa homines in genere & in specie, variòsque eorum status, qualitates, conditiones, professiones &c. *3tio*. Circa animata sensitiva ac vegetativa, *4to*, circa omnis generis inanimata, & *5to* demum circa te ipsum, potentias, sensusque tuos consideranda veniunt, ut magis magisque te Deo uniant, ad ei alacriter, fideliter, constanter serviendum instigent, & post continuum vitæ tempore virtutum exercitium ad sedem Beatorum perducant, sicque in te verificetur illud Pl. 183, *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit (ubicunque terrarum fuit) Benedictionem dabit Legislator. Ibi de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Per ejusmodi praxin accedet & hoc commo- di, ut de re qualibet in & extra Confessionem discas solidos formare discursus asceticos cum proximo circa fidem & circa mores, quod pro- fessione ac vocationi tuæ vel maximè congruit atque simul facili ac amenâ methodo majorem S. Scripturæ notitiam, ac intelligentiam ver- quadruplicis ejusdem sensûs acquiras juxta vul- gatum illud:

*Mentis in Deum.*

*Littera gesta docet, quid credas allegoria,*

*Moralis quid agas, quò tendas anagogia.*

3

Dixi veri quadruplicis sensus, nam alius etiam S. Script. sensus datur *accommodatitius*, dum Ecclesia vel PP. textum aliquem Script. ad rem similem accommodant, qui tamen sensus directè & primariò à Spiritu S. intentus non fuit; ut ipsimet ità textum applicantes profitentur. Porriò quadruplicis veri S. Script. sensûs interpretes præcipui inter Latinos sunt Hieronymus, & is vocatur Doctor Litteralis. Ambrosius *Allegoricus*, Gregorius *Moralis*, Augustinus *Anagogicus*. Sic v. g. primus accipit *Paradisum* pro *horto à Deo condito*. Secundus pro *Ecclesia*. Tertius in sensu morali sive tropologico pro *anima*. Quartus pro *caelo*, pro his sensibus, ubi se occasio obtulit, eruendis usus sum Hefsero in Psalmis, Tirino in aliis, tu hoc, quod ego ex recitatione horarum, auditâ super mensam lectione, vel aliis per diem subinde incidentibus, aut lectis vel ab alio auditis pro me collegeram, ulterius perface, quod per commodè facies, si per annos aliquot præfixo semel pro semper tempore v. g. post Litanias medium quotidie quadrantem impendas in adnotandis selectioribus, quæ vel audisti vel legisti, & si horas cum attentione persolvis, aliâque per diem lecta audita ruminas, vix dies abibit sine linea, ego ea plerumque selegi, quæ in sacris paginis videbantur vel magis memorabilia, vel explicatione indigebant, vel aptiora judicabantur esse ad hæreses ac vitia debellanda, virtutem implantandam,

4 *Pars secunda de elevatione*  
dam, atque animum Deo conjungendum,  
quod si jam cum alio etiam inter ambulandum  
te sæpiùs exerceas ad depromendos textus ejus-  
modi ex verbo Dei de re quacunque sub oculos  
cadente, magnam facili modo S. Scripturæ no-  
titiâ intra annos aliquot acquires, quâ licet  
summo opere viro Apostolico necessariâ aliâs ca-  
rebis ob negotia, studia, quibus distraheris.

Demum adhuc unum te moneo, quod (cum  
paulò ante inter cætera dixerim addiscere te  
quoque posse ex hoc *Vade mecum* artem solidos  
formandi discursus in & extra Confessionem  
cum proximo circa fidem & mores, ideòque  
textus ad hæreses & vitia debellanda, aliâsque  
bonas instructiones dandas me aptiores sele-  
gisse) quod inquam ea, quæ fidei puncta con-  
cernunt, in §. §. in quibus materia substrata oc-  
casionem dabit, per peculiare sublectiones  
tractaturus sim, ità ut si sublectiones has se-  
paratim velis percurrere; in iis breve compen-  
dium præcipuarum controversiarum reperiturus  
sis. Sicut si in prima hujus libelli parte, ut  
ibidem monui, velis præcipua asceseos funda-  
menta ac principia animo volvere; ea invenis  
in septem animadversionibus ibidem insperis.  
Interim à primario scopo meo, qui est, ut per  
ascensum mentis in Deum ex omnibus in cælo  
& in terra occurrentibus perfectiùs uniaris Deo  
me in tantum abetrasse non sperem; in quan-  
tùm confortantia in vera fide ac religione in  
virtutis quoque ac perfectionis studio animum  
corroborare, & solidiùs Deo affigere debent.

CAPUT